



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 14. Cardinalium creatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)



Sæcul. XV. paulo post a quibusdam Mercatoribus Venetis oblato pretio fuisse redemptas.  
A.C. 1426.

## §. XIV.

*Cardinalium electio.*

*Ciacon. de  
Rom. Pontif.*

*Hist. Eccles.  
Burgdeg.*

Hoc anno Pontifex quatuordecim creavit Cardinales, quos inter Hugo Lusignanensis Regis Cypri Filius, cujus supra meminimus, antea electus Nicosiensis Archiepiscopus, numerabatur.

Invenimus in Chronico cujusdam Auctoris, quem Spondanus ad hunc annum Numero V. allegat, Ægyptii Sultani epistolam ad Pontificem hunc in modum scriptam: *Non mireris, si te verbis salutationis non exquirimus, cum te habeamus capitalem hostem, & hostis hosti non debet orare salutem. Datum Baruch in mense Casleu.* Aliam, quæ adhuc magis barbaram sapiebat ferociam ab eodem ad Principes Christianos exaratam Monstreletus refert, qua omnino Sultanus eos ad se accedere, fidemque deserere jubet. Verum literas hæc confictas, & non nisi immaturi cujusdam ingenii partum ex joco duntaxat prolatum merito conjicimus. Certius illud est, quod Sultanus iste paulo ante Christianis prohibitam facri sepulchri visitationem ob lucrum sibi inde proveniens mox revocaverit; quo facto Ludovicus Comes Palatinus Rheni, &



& Dux Bavariae hoc ipso anno peregrinationem ad terram sanctam suscepit, inde vero caecus & claudus rediit ob graves infirmitates, ac labores in itinere exantlatos.

Sæcul. XV,  
A.C.1426.

§. XV.

*Cardinalis tit. S. Crucis Legatus ad pacem stabiliendam missus.*

Nicolaus Albergatus Carthusianus, Bononiae patriae suae Episcopus nuper, licet invitus Cardinalis tit. S. Crucis in Jerusalem creabatur, nunc vero tanquam Legatus decernebatur, ut concordiam inter Philippum Mediolani Ducem, & Venetos, Florentinos, aliosque Italiae Principes conciliaret. Negotium hoc sibi demandatum eo deducebat, ut pax conclusa fuerit, sub conditionibus Philippo quidem onerosis, quibus tamen ille ex Legati consilio consensit, veritus, ne totius forte Principatus sui possessione dejiceretur; denique ea quoque Pontifici sententia infedit, satius esse quacunque demum conditione praesentibus malis consulere, certamque tranquillitatem incertae victoriae praepondere. Quibus ille persuasus paci ac pactionibus Mense Decembri hujus anni firmatis die prima Januarii Anno subsequenti subscripsit; has tamen conditiones Philippus, utpote animi

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXVI. Mm mi*